

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXLVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

tellexi ex bibliopola Francofurtensi, Simone Huter, duos meos libellos apud vos edi de Coena Domini & de communicatione idiomatum; & magnopere vellem in epistola dedicatoria aliquid mutari. Dedicotoriam enim propter multas gravissimas causas vellem inscribi Ducis Brunsvicensi Julio: à te igitur amanter & diligenter peto, ut pro titulo: *Ducis Saxonie*, velis substituere hunc titulum: (Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Julio, Duci Brunsvicensi ac Lüneburgensi, Domino meo clementissimo) Et in fine dedicatoria expungas ea, quæ ad *Ducem Saxoniae* pertinent, ac eorum loco curcs substitui ea, quæ in charta hisce literis inclusa consignavi. Illud ut diligenter cures, magnopere à te peto. Nam & nostræ Ecclesiæ ut illud fiat, multum interest. Ego vicissim ad quævis officia paratissimus ero. Jam per occupationes non possum plura scribere. Bene igitur & feliciter in Christo vale. Rostochii, 28. Junii, 1568.

T.

Martinus Kemnitius.

## CXL VIII.

**S**Alutem à DEO patre, per JESUM Christum, qui est unica spes nostra. Reverende vir & frater in Christo chariss. Etsi nulla huc usque mihi tecum intercesserit familiaritas, tamen propter communia studia, & sacrosanctam nostram professionem, quæ merito animos, locorum intervallo disjunctos, conjungere debet, verecundiae fines transfire, & tecum audacter per literas, quæ erubescere nequeunt, familiariter colloqui decrevi, hac fretus spe, te propter tuam mirificam humanitatem hasce rudes literas boni consultrum, & mihi nequaquam rusticitatis grandem dicam scripturum esse. Venit ad me harum literarum exhibitor, Johannes Hellerus, cuius pater in hac provincia magna cum laude functus est officio pastoris; qui per biennium in vestra Academia bonam operam literis navavit, & mirum in modum petiit, ut se tibi commendarem, se enim in certam venire spem, meam commendationem plurimum ponderis apud te, qui pro tua authoritate plurimum apud cives valeres, habituram esse. Nolui adolescenti admodum bona indole prædicto deesse, propter parentem, & quod ipse cum extrema conflictetur paupertate & tamen ad studia liberalia, imprimis verò ad Theologiam animum adjecit. Ea propter mirum in modum peto, ut huic adolescentis studia juves & promoveas, ipsum summo favore prosequaris, ut re ipsa experiatur, hanc commendatiunculam qualecumque ipsis non obfuisse. Scis, quam honorificam mentionem

M m 2

faciat

faciat scriptura filiorum Prophetarum, & quam ampla ac luculenta præmia, is, qui mentiri nescit, pollicetur iis, qui curâ pauperum, in primis vero scholasticorum, afficiuntur, & plantulas regni cœlorum fovent ac pro virili promovent. Sed nolo pluribus hac de re tecum agere, ne benevolentiam tuam, quam omnes ubique magno ore prædicant, in dubium vocare videar. Ego vicissim tibi & tuis pro virili, mea studia & expromptam operam defero; Adolescentem tuorum beneficiorum nulla unquam capiet oblivio, Filius Dei, studiosorum præses, procul dubio tibi & tuis abunde ea recompensabit. Quod reliquum est, ego æternum patrem Domini nostri Jesu Christi ardentibus votis oro, ut te tuæ publicæ & domesticæ Ecclesiæ diu in columnam conservet, nobis salutarem pacem & tranquillitatem concedat, tandem verò ex hac missariatum valle, in æternam & nunquam intermorituram transferat, Amen. Bene vale, & responde. Datae Smalcaldiæ, ipso die Kiliani, Anno gratiæ 1568.

Tua Reverentia

Dedit.

Christophorus Fischer, servus Christi  
apud Smalcaldenses.

CXLIX.

*Salutem in Christo.*

**H**as literas in summis meis occupationibus scribo, ut scias, me adhuc vivere, & nondum mortuum, quem tamen multi optarent extinctum. Papistæ infideli sunt, Cingiani proscindunt famam & honorem meum. Ego vero ē Cœlo pendeo. Summum dolorem cœpi ex defectione Comitis ab Helfenstein, sed maiorem voluptatem & gaudium ex accessione, qua Dux Brunswicensis, mortuo patre, Duce Heinrico, veteri Ecclesiæ Christi hoste, Evangelium Christi amplexus est, & totum suum Ducarum reformare instituit. Dominus sancto proposito adiit, & huic Duci dies viræ prorogare velit. Cruenta meditati & mitati sunt Papistæ. Sed Dominus invertit illorum consilia, & confusione replebitur facies illorum, ut Psaltes inquit. Cujusmodi specimen ediderit Joannes Piscator noster, pro Disputatione publica, ex aliis audivisti, ad quam ego illum coëgi. Et tempore quidem ipsi minus commodo. Tum enim sese ad Magisterium præparabat. Præclare se geslit, ut paucis verbis dicam. Conabor per gratiam DEI præstare vobis in illo adolescentie, quod vobis promisi, quando pro ipso intercessi. Bene & feliciter vale, & tuum Jacobum amare perge. Tubingæ, 12. Juli, 1568. Collegas tuos, Reverendos doctis